

a. w.

CHARACTEREM BONI JUDICIS, *DISSERTATIONE ETHICO-POLITICA,* PERMISSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

IN
REGIA ABOENSI ACADEMIA,
SUB PRÆSIDIO

Adm: Reverendi atque Præcellentissimi,

Dn. Mg: JOHANNIS
MUNSTER/

Phil. Pract: & Hist. Prof: Publ.
Celeber:

Publico eruditorum examini reve-
renter & modeste submittit

HENRICUS JOHANNES SCHARPH,
*Ad d: 19. Nov: Anno salutis
restauratae MDCCIV.*

Exc, ABOÆ.

[J. Winten]

Sacræ Regiæ Majestatis
probatae fidei Viro.

GENERO SO

Nobilissimog_b Domino.

Dn. S V E N O N I

Lejonmarck.

Regii Judicij

Quod Aboæ est

VICE PRÆSIDI

Æquissimo,

Ut Studiis atque Eruditionis famâ
percelebri,

Ita studiis Invigilantium

Mæcenati certissimo,

Pio animi affectu ætatem colendo,
devenerando.

Quævis

M A G N E

In

Sacram Regiam Majestate in
fidei Viro.

Nobilissimo Domino,

Dn. I S A A C O
PARMANDRO,

Regii Bellici Collegii

Quod Holmiæ est

C O M M I S S A R I O

Celeberrimo,

Literarum Æstimatori Maximo,

Meigz

H umilimi sui Clientis

Mæcenati & Promotori honoratissimo,

Submisso Zelo æternum devenerando.

fausta.

Generose Dn. VICE PRÆSES,

Nobilissime Dn. COMMISSARIE.

Non processissem in VESTRUM, MAGNI
DOMINI, conspectum, nec hanc, tam
nobilem, tam sublimem materiam elegisset,
nisi me non nemo his dictis erexisset: Non tam
turpe est vinci, quam quid tentasse decorum
est. experturus ergo tenellas vires maxime fui
sollicitus, de materia nobili, nec visa mibi di-
gnior est alia, quam haec de bono judice, quam
pro ingenii simplicitate elaboravi. Non minor
erat cura, cui talem ingenii mei fætum consecra-
rem: subiit autem convenientissime hanc mate-
riam. Illustri alicui judici dedicari. Vobis
itaque Magni Judices has pagellas do, spe-
rans, ne tam autoris parvitatem, quam ali-
quid efficiendi voluntatem, Vosque, Mœcæ-
nates, colendi, unicum studium, inspiciatis. Mihi

per-

persuadens, huic apud Vos aliquem fore favoris locum, quem etiam ante me cum gau dio expertos alios scio & laetor. Conservet Vos summus omnium rerum Iudeu incolumes, nec propere Vos nobis eripiat; ut de tantorum Judicum praesentia, alii homines sibi gratulari queant. Ego vero quoad sum, maneo

Generose Dn. VICE PRÆSES
Nobilissime Dn. COMMISSARIE

Vester
humilimus Servus
HENRICUS JOHANNES SCHARPH,

Justitiae & Aequi-
Doctrina & jurispru-

T O T I S E N A-

Fautorum & Promotorum

In

Consultissimo atq[ue] Aequissimo

Dn. ANDREÆ PRYTZ,

Commerciorum Abôens: Consuli justis-
simo, Patrono Maximo, pio zelo nunquam
non devenerando.

Fide & Prudentia Maxime Conspicuo VIRO,

Dn. FRIDERICO ZELBELL,

Minorum teloniorum INSPECTORI soler-
tissimo, Eyergetæ Optimo.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo Dn.

Mag. ERLANDO TÖXN/

Animarum, quæ in Saltwkh Christo col-
liguntur Pastori Vigilantissimo. Nutritio
perpetim honorando,

DEUM

tatis fama Nobili,
dentia conspicuo

TUI UR BICO;

cetui longe honoratissimo.

Eo

Æquitatis nomine Celebri

Dn. JOHANNI SAEHLS,

Justitiae in curia Aböensi Consuli specta-
tissimo, Mœcenati quavis observan-
tia Colendo.

Maxime Reverendo atq; Clarissimo Dn.

Dn. SALOMONI ALANO,

Pastori Ecclesiarum Gundensium in A-
landia Meritissimo, Benefactori devota
mente suspiciendo.

Notæ fidei, Prudentissimog; Viro

Dn. JOHANNI SPENSER.

Vestigium per Portam Aningais Telo-
vario accuratissimo, Avunculo honoratissimo, Benefactori æternum suspiciendo.

PROPTIUM

Consultissimi , Spectatissimi , Clarissimi ,
& honoratissimi Domini , Mœcenates
Exoptatisimi .

Acipite , Honorandi Judices , Reverendique
& Benevolentissimi Domini , hunc qua-
lemcunque rudis ingenii effectum , reci-
pite hanc prolem , benignitatisque Vestræ gremio
fovere ; Ignoscite audaciæ , quæ me , ut hoc nullius
ponderis munus Vestris consecrarim Nominibus ,
impulis , & quæ in hoc scripto desideratis , ipsi-
met pro Candore vestro supplete ; quæ incongrue
vel male profita sunt , favoris velo tegite , cogitantes
me nunc primū in publicū doctorū apricum prodire ,
quæq; perfecta sunt cum tempore addisci , non
connasci , b. e. non statim prima vice posse
aliquid esse ab omni parte absolutum ; sed ut
infantes primum reptant , deinde firmato gra-
du recti incedunt , ita . quod huic opusculo de-
est , matura forte etas implebit . Ad cineres
usque maneo

Consultissimi , Spectatissimi , Clarissimi
& honoratissimi Domini

Vester

Obsequentissimus Cliens .

HENRICUS JOHANNES SCHARPH,

*Natalibus & Eruditione morumque decen-
tia in primis conspicuo*

DN. HENRICO JOHANNI
SCARPH

labores suos

De

BONO JUDICE
Eulganti!

Sedulus ingenii pandis monumenta
sagacis,
Judice dum monstras munera digna
bono.

Ipse Tui vivum vivas, dilecte! laboris
Exemplum; specimen sic dabis ecce!
bonum,

Namque valet melius sanæ bona juncta
voluntas

Menti, neutrius dememiniſſe caves.

Hæc cœlo reputas jussus, dignissima cœlo
Justitia, huic eris ad cœlica regna co-
mes!

*In amicitiae testimonium
reliquit*

GABRIEL JUSLENIUS.

Πρὸς τὸν, τῆς ἐυφύιας, τῆς ἐὐεργείας, τε
καὶ τῆς ἐυελπίδιας NEANÍΣΚΟΝ,

**ΚΥΡ: ΕΝΠΙΚΟΝ ΙΩΑΝ:
ΣΚΑΡΦ,**

Περὶ τῆς καλῆς οὐκέτι δίκαιίας τῆς δίκαιοτῆς διαφε-
ρόντως οὐκέτι πεπαιδευμένως διαλογισόμε-
νον, Φίλοι μή αἰσπητὸν,

Α ΣΦαλέως ὅσις ζώειν ἔθέλεις καὶ ἀμέμπτως
Εἴ χολῆ ἀνδρεῖ ἡμὲν τὸν ἀχολίη,
Πρῶτον θεὸν θύμα, μετέπειτα σκευάληθες,
Τὴν τὸν ἐπεικένην ἡδὲ δικαιοσύνην.

Ταῦθ' ἔστεν διάσημος ΣΚΑΡΦΙΟΣ ἐνθεός θυμῷ,
Εὖ καὶ ἐπιτιμένως ὅκκα ἔχειψε σοφὴν
Τὴν διάλεξιν τοῦ κελποῦ περ' ἀδίκων ἡδὲ
Ἐθλῶ. Τὸνεκα τιν, ω ἐργάηρε φίλε,

Κηφής ἐγῶν ἐπικαίρω εὐχόμενοι μεν ἄπανται
Οὐδὲν τούτον ἔνδυμέδοντες Θεὸν,
Τὸν ναίοντες περιέβατο δάμασι λίστοματι εὐλογεῖσιν γέ

Είσει σεῦ σπρόστας Θεοπεσίας κ' ἀγωθάς.

Τ μῆς καὶ Φιλίδες ἐνεκά ἐνα-
χολάγμενοι ἐπόιησε

MATTHIAS SALINIUS.
Schol. Catb. Ab. Coll.

JUVENI FRÆSTANTISSIMO

DN. HENRICO JOHANNI
SCARPH,

*Amico meo perdilecto, de bono Judice non
non minus belle quam eruditè
differenti.*

Conscendis cathedram Phœbi, SCARPH,
dulcis amice,
Judice deq; bono differis egregiè.
Non igitur possum laudem quin hunc
laborem,
Pectoris ex adyto prospéra cuncta pre-
cans.

Ipse Deus cœptis studiisq; tuis benedicat,
Post hac sic Themidos Tu quoque my-
sta clues.

*Affectu quam verbis prolixior
gratulabar*

S A M U E L M ØLLE R.

Disputatori satis strenuo nec non
Politissimo,

DN. HENRICO JOHANNI
SCARPH,

Suo antehae Convictori & etiamnum
Amico amicissimo.

Dum vagor attonitus gressus glomerans
taciturnos
Ad juga Parnassi, Castalias & aquas,
Hec domus, haec sedes, haec sunt penetralia
magni

Numinis, ob speciem sic reputata bonam.
Pulchricomus venit inde unus, cui nomen
Apollo,

Quem supplex venerans alloquor hisce
modis:

Fama, Verende Pater, nostras pervenit
ad aures,

(si sit credendum hoc ambigo, meq; latet)
Masculus ut gravidum maturo pondere
ventrem

Ferret, Ut dederit nobile ventris onus.
An que, mox inquit: res est notissima cunctis,
Non audita tibi est? es puer unde?
statim

Ad-

Addidit: I procul hinc, nec sacros pollue
fontes,

Jussit de cætu cedere forte suo.

Obsequor imperio cito me properans, ab-
ituri

Pallor membra capit, concutit ossa metus,
Sed post terga videns video mansuescere
vultum,

Jam clamat blando me revocatq; sono:
Es, ni fallor, verè aliquis de pube Lycaeū
Abodici, beus, gressum comprime, siste
pedem.

Vera quidem fama est: meus en percarus
Alumnus

SCARPH, sacra Thespia dum qui lati-
cesque sacros

Bellerophonteos teneris dilexit ab annis,
Ingenii fætum protulit egregium.

Præterea, ne sperne meæ præfagia linguaæ
Fatidicæ, dixit: SCARPH probus hicce
cluet.

Pierios tandem flos nobilis inter alumnos,
Et quondam patrii non leve nomen
agri.

Expertus placidum Patronum, vadere
cœpi

Exemplò paulò liberiore pede,

Atque novem vidi præstantes arte so-
rores,

Sed quis non facies omnibus una fuit;
Nec diversa tamen, qualem decet esse So-
rorum;

Has Deus affatus vocibus bisce fuit:
Præmia Vos Nymphæ meritis decernite
digna.

Cultori nostro SCARPH. Mora nulla fuit;
Fit plausus, suavis vox est in vertice
Pindi,

Turba novena Deum carmina lata canit,
Promittens jamjam pulchram contexere
laurum.

Quæ cito circumdet Te, præcor, bisce vale!

Sic candorem fidi pectoris te-
statum facere voluit

ALBERTUS SPENSENIUS.

Ode gratulatoria.

Arbiter legis bonus atque clemens
Subditis certè dabit æqua jura,
Impios motus cohibebit, hostis
Vim violentam.

Hi, puto, mores decorant politè
Judicis spartam; decus est forense
Hincce, quem tali Themis erudivis
Vivere lege.

Ipsius munus rudis at quid amplum
Persequar multis? quia plura nobis
SCARPH satis magno studio explicata
pagina monstrat.

Hinc piis cœlum precibus fatigo,
Ut DEus cœptis benedicat almus:
Obregatque olim caput hoc corona
aurea cœli!

*Quam gratulabundus
adjecit*

MATTHIAS SIMOLIIN,

Ab.

Quid tua commendem studia assiduumque
laborum?

Hæc sunt nota, reor, SCARPH Patriota,
satis.

Quidque tuum celebrem ingenium pretiosius auro?

Divitis ingenii munera magna tui

Ostendit cunctis hæc dissertatio docta,

Qui mihi non credit perlegat hanc, rogo.

Barbita quid cessas mea viliis fundere vota?

Quid latitas trepidans? verba canora cane.

Grator progressus tantos, conamina tanta

Sim licet Aoniis non madefactus aquis.

Cursu contendas rapido in stadio studiorum,

Præmia digna feres, laurea sertæ feres.

Hæc pauca, non ut debuit, sed
ut potuit, puerili concin-
navit stilo

JOHANNES SPERMIAN

Aboën.





CAPUT I.

§. I.



Xtra omnem
vel dubitationis
vel disputationis
aleam positum
est, DEUM ES-
S E , qui, quan-
cunque jam sunt
vel olim fuerunt,
creavit , crea-

que indies sustentat , atque pro ea , qua
est omnipotentia & sapientia , providen-
tiae sue oculo , qui est ipso sole clarior ,
contemplatur & dirigit . Hunc ordinem
inter homines ipse constituit , ut essent
qui reliquis imperent , & qui Imperantij
obtemperent ; constituit Reges in Terris ,
qui vastam hanc familiam , pro ratione
creditij talenti administrabunt , leges da-
bunt , datas , prout Regno & imperio no-

A

zias

xias & utiles, confirmabunt vel rejicient. Ferrum habent necesse est, quod vel tempore stringant, vel cum despactu non gestent, benemeritos honorent, inferiores queantur, divitibus non injurii, pauperibus non desint; Ut autem omnia rite gubernentur, habet Magnus quilibet Naucleus, alios, qui partem oneris in se derivabunt, eosque circa totum imperium dispersos, qui in suo quivis loco, hominum vitam ad praescriptum legum conforment; distinguit in superioris & inferioris sortis Rectores, ita ut mutuum sit inter hos quoque imperium, alii audiant, alii audiantur, ut sic juncta opera nullus in toto imperio locus negligatur, constituit Rectores Provinciarum, Dicasteria ordinat, cuilibet urbi suum Senatum praeficit.

§. II.

PRæmittendum adhuc arbitramur non-nihil de judiciorum Autore DEo, qui ipse quoque in Scriptura Sacra non semel homines judicasse legitur. Utpote, qui primos homines in Aureo illo seculo, à concreata soâ integritate deficientes, in horto examinat: Quis te nudum tibi dixit? non edisti de fructu vetitæ arboris, cuius esum tibi interdixi? cui Adam, foemina, regerit, quam

quam mihi dedisti, de ea arbore mihi exhibuit ut ederem: Fœmina interrogata cur id fecisset, serpentem sibi imposuisse queritur. Atque sic omnibus examinatis, Adamo operosam agriculturam, Eve difficilem partum, serpenti reptandi incommodum injungit, totumque quod creavit, opus, maledictionis fulmine icit. Sic Babelicam turrim præaltam ædificantes, qua se, si nova aliqua aquæ vis ingrueret, cœlitibus quasi miscerent, visurus, hoc, judicatusque descendit DEus, atque sic eorum temeritate pensata, linguam confudit. Par ratione Sodomam & Gomorram DEus examinavit, cognoscens, utrum illic ea peccata essent, quæ cœlum quoque fatigaverant, an non ut hæc sibi innotescerent. Quia & Israelitarum misericordiam DEus vidit, proinde Mosi suam voluntatem aperit, se scilicet ex ista captivitate eos liberaturum, Moysenque huic operi Ducem velle, qui eos a Pharaone manumissos, in terram amplam melle & lacte abundantem duceret. Ut evincamus, Judices & judicia esse licita, Deoque placere, sequentia exempla, utpote à Piis hominibus patrata, contemplemur: Moses populum DEi judicabat, siue plebs aliquo consilio egebat, illud a DEo impetravit; cum autem diu satis hoc muneris

solus execuisset, tandem probos Viros, Pios, Veraces, avaritiaeque osores elegit, quorum hos mille, alios centum, quosdam quinquaginta, nonnullos decem hominibus præfecit; hi autem omnes in consortium laboris vocati, graviores causas Mosi relinquebant, leviores ipsi judicabant. Idem Moses pro nobili officio condemnabat maleficentem, eumque, quia præceptum à DEo erat, extra castra lapidibus obruebat. Josaphat, Rex justitiae & Pietatis nomine decantatissimus, Judices circa totum Imperium disposuit, quos officii admonitos docuit, non hominum sed DEi judicium administrare essent ergo Pii, sibiique sedulo caverent, Deus enim iustitia personarum & donorum acceptionis nescius est.

§. III.

PRæterea in V.T tam Levitæ & Sacerdotes, quam Judices sententias populo dare tenebantur. Sacerdotibus etiam lepra vel alia qualcumq; tabe infectos conspicere, hominumq; interdicere consortio; sanitati autem restitutos, in coetum aliorum admittere, purisque pronuntiare, in mandatis erat. Samuel Propheta, verbi Divini indefessus Prædictator, rerumque futurarum mire præscius, Populum DEi quoad inter illum fuit, judicabat, Parentisque instar eos cum

monebat, tum ab iis colebatur; hic sacer Myſta à DEo arduarum rerum explicatio-
nem adjunctis precibus sacrificiis, elicuit,
tandemque venerabili ſenio confectus, fi-
lios fuos tam honorum quam laborum
ſuccelfores conſtituit, ceterum propter
eorum vitia, Iſraēlitas Regem flagitantes,
Ethnicis comparari cupidos, voti damna-
vit, Saulemque rite jufſu DEi undum huic
petulcæ plebi dedit,

§. IV.

JAm propius ad institutum accedendum,
judicem conſiderabimus. Quo autem
plana fiat via eum cognituris, neceſſarium
ducimus definitionem Judicis præmittere;
Est autem Judex persona a Majestate vel
direcťe vel indirecte ad disponendum & de-
cernendum instructa, de certis Reipublie
negotiis, cum facultate exequendi. Deri-
vationem hujus vocis, Judicis, ſponte o-
mittimus, utpote quæ facillimæ eſt inda-
gationis, & ubique obvia; Nunquid ejus Ju-
dicis ſit finis, exponemus: *Justitia hæc eſt.*
Quam ſic Aristoteles definiit: *Justitia eſt l.5. Eth*
virtus, qua homines ſunt idonei ad ea, quæ *l.*
justa ſunt., eademque agunt & volunt.
Justitiæ multas eſſe diuſiones nemo igno-
rat, quas nos, ceu ubique apud Ethicos

occurrentes siccō pede præterimus, nos justitiam universalem hic tantum considerandam proponimus, quæ sit & circa quid versetur. Occupatur autem circa omnes, omnium Legum virtutumque actiones, quæ ad extrellum finem, nempe salutem reipublicæ, hac directrice contendunt atque collimant. Justitiam omnium virtutum esse præstantissimam, mundique totius somitem constat, quippe quæc alios, ne justæ potentia ac dominii cancellos transcant, cohibet, aliis justam erga Potentes reverentiam injungit, subjectorum petulantiam, vel mitius, libertatem astringit, adstrictamque tam in Imperioris quam parentis utilitatem dirigit. Nihil Justitia melius, quæ Principatum

- α) Py. inter virtutes tenens, ornant earum chorum
bag. maxime; (α) Est certe thesaurus omnium
β) Ari. virtutum, (β) est præstantissima, optimis,
ot. perfectissima, (γ) spendidissima, virtutum
γ) Cic: omnium Regina & Domina; (δ) summa
δ) La. virtus aut fons virtutis, (ε) medicina ani-
Eant mæ, sine ea nec regi, nec subsistere qui-
e Flu. dem mundus potest. Sed ut hæc est vir-
arch. tus evidentissima, ita difficilima quoque,
cum quælibet virtus suam habet difficulta-
tem, hæc una, cum virtutibus reliquis,
quas omnes in se comprehendit, earum dif-
ficultatum molem excipit; difficilima quo-
que

que ab Aristotele (ζ) audit, idque in pri- C. 2.
mis ea de causa, quia ejus maxime circa (η) vi-
aliros homines usus est, (η) atque ad alios Vende
potius quam ad nos ordinatur. Justitiam Phil.
DEUS societatum publicarum columen Mor.
esse voluit. Huc quadrat illud Catulli: (9) de re
vitâ

Sed postquam Tellus seelere est imbuta ne- 28: S
fando,

Justitiamque omnes cupida de mente fu- (9)
garunt;

Omnia fanda nefanda malo permissa fu-
rori,

Justificam nobis mentem avertere Deo-
rum.

Hac submota, solia Regum vertuntur atq;
terræ devastantur; Imperiorum vastissimo-
rum atque validissimorum ruinæ hanc cla-
dem nobis prædicant.

§ V.

Non sine causa Veteres Philosophi ju-
stitiam crediderunt Jove matam,
atque in cœlis rerum humanarum
arbitram sedere. In eis Chrysippus:
ς γάρ ἔτιν εὐρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην
ἀρχὴν, ὅδε ἄλλην γένεσιν, ἡ τὴν ὅπερ Δίος,
καὶ τὴν ὅπερ κοινῆς Φύσεως. Εἴτε γένεται
γαρ δεῖ πᾶν Τὸν τοιότον τὴν ἀρχὴν ἔχειν εἰ
μεῖλομέγη ἐρεῖν ἀγαθῶν καὶ κακῶν. Quid?

imo tanta est vis justitiae, ut teste Cicero.
 l.2. ne (1) nec illi quidem qui maleficio aut
 offic: scelere paucuntur, possint sine ulla parti-
 cula justitiae vivere, nam qui ab eorum
 quopiam, qui una latrocinantur, furatur
 aliquid, aut eripit, is sibi ne in latrociniis
 quidem relinquit locum: ille item, qui
 Archipirata dicitur, nisi æqualiter prædam
 dispertiat, aut interficiatur a sociis, aut re-
 linquatur, quin etiam leges latronum esse
 dicuntur, quibus pareant, quas obseruent.
 Cum igitur tanta vis sit justitiae, ut ea etiam
 latronum opes augeat & firmet, quantam
 ejus vim inter leges, judicia, & instituta
 reipublicæ fore putamus.

§. VI.

Sed nec immediate ab ipso DEO fluunt
 leges & justitia, sed intervenit aliud, sci-
 licet *Lex Naturalis*, illa autem Deo suum
 principium debet, quicquid enim homines
 faciunt, si legi naturali contrarietur, non
 potest sibi constare, hæc enim fundamen-
 tum petrosum est, cui nixa justitia civilis
 firmo stat talo, hæc est fons & securigo
 omnis juris, ex ista ratio produxit, quic-
 quid justum est. Ut omnia naturalia, ipse et-
 iam homo, finem illi dant, cui principium
 debent, sic, que justitiam constituunt, ad
 pri-

primam normam atque existendi principium recidunt. Tandem causa, sive rectius norma justitiae est certa aliqua lex, quæ modum & formam inquirendi puniendique aliquujus delicti præscribit, in hoc negotio virtutem suam exerit justitia, cum accusatum vel defendere, atque causa cognita, si falso insimulatus sit criminis, absolvere tenetur, vel contra, si delicti, cujus accusatur, reus sit, severe nocenter puniat, uolumque pro multis, intrepide tollat; satius enim est unius membra jactura, reliqui corporis perniciem evitare, quam illius inutili conservatione, toti corpori interitum accelerare; sic eum fas est submovere, qui vel publicam vel privatam impugnat quietem, ut in ejus facinus publico judicio exemplum statuatur, quo alii horum exemplo commonefacti, similibus flagitiis abstineant.

§. VII.

HÆc de justitia, qui est finis Iudicis, jam ad ejus requisita deveniendum. Omnes actiones hominum includuntur his vocibus: Εὐσεβῶς, δικαῖως, ἡγ̄ σω. Εὐσεβέγνως. Εὐσεβῶς, pie in DEum debet Ju. Cōs. dex vivere, primum gratias agendo, quod se hominem esse voluit, quod se voluit

hominem esse prudentem, quodque se hoc
 sancto munere sit dignatus, aptumque fe-
 cerit, qui possit jus populis dicere, eorum-
 que actiones Legi Divinæ, naturali & ci-
 vili conformatae; *Tum* rogando, illuminari
 intellectum, ut remota erroris nebula ve-
 ritatem queat investigare, rerumque subti-
 lium connexionem felici indagare sagaci-
 tate; præstantiori indiget iudex intellectu,
 eum jam non occupari velit veritas in hu-
 manis actionibus, sed multo labore inqui-
 ri, hinc ab ipso Judice quoque desideratur
 dixi. ut sic vir bonus & innocens, quod dixi
 ws ζαν; innocentes erunt, qui hoc facrum
 administrabunt munus, ne forte cum alios
 judicabunt, ipsi damnentur. Velejus Pa-
 terculus ita vult regnantium vitam esse af-
 fectam, ut ne in ea levissima quidem suspi-
 cio hæreat: id nos adjicimus de Judicibus,
 flagitiis nobiles si ad hanc dignitatem eve-
 hantur, ab omni justitia sunt alienissimi, idcir-
 co alii inscitia & ruditate peccant; alii mali-
 tur, affectu, qui barbarum animum consequi-
 gno justitiam abjurant. Supereft, ostendamus,
 quomodo σωφρόνως iudex debeat vivere.
 Elucet in iudice maxime temperantia, quæ
 in iudice etiam alias exercitatissimo si desi-
 deretur, nihil valebunt leges. Ergo ut hora

matutina judex tribunal conscendat, atque ante meridiem, & quidem sub dio peragat judicium, vult Saxo; (κ) idque propterea, quia multi vino à meridiè op-^(x)
pleti insaniant & de efficaci potu sunt impo.^{saxon} tentes. (λ) Sacerdotes enim & Prophetæ insaniant ex efficaci potionē, insaniant in Prophetiis neque recte judicant. Hinc egre-^{gl. u/ art.}
gium judicibus monitum. (μ) O Lamuel^{1.3.} cave des Regibus vinum, Principibusque efficaces potionē, ne bibentes justitiam^{28.v.} despiciant, egenorumque causam pver-^{(\mu) P}
tant; Vinum enim & mulieres sapientes delirare faciunt; Ne ergo aspiciant vinum,^{31.4.} quia rubet, generosumque adparet in vi-^{(v) Sj.}
tro, facileque bibitu est, cum tandem tam-^{19.2.}
men instar serpentis feriat, atque instar viperæ pungat. Hanc igitur vitiorum system qui Judex evitare didicit, tam bonam famam, quam recti conscientiam sibi acquirit.

§. VIII.

TAntum de iis virtutibus, jam aliquid de Magnanimitate adiiciendum, quæ quoque ad constitendum bonum Judicem concurrit, ut Judex, licet malevolorum & perversorum hominum garrulitate sibi detrahi sentiat, latus suum ab hac procel-^{lae}

*Sen. læ vi non dirutum iri confidat; (ξ) Si ma-
de gnanimus fueris nunquam judicabis tibi
tut; contumeliam fieri, de inimico dices non
nocuit mihi, sed animum nocendi habuit,
& cum illum in potestate tua videris,
vindictam putabis non vindicasse, cum
potuisti, scio enim magnum & honestum
vindictæ genus esse ignoroscere, magnam-
que fortunam magnum animum decere,
cujus est proprium, placidum esse & tran-
quillum, & injurias ac effensiones altè
despicere.*

§. IX.

NEc prætereundum, Judicem moraliter
considerantibus, quantum ei accedat
ex taciturnitate, quippe eas res agit, quas
necquidquam vel mulieribus vel præconi-
bus in foro dicere salubre est; unam lin-
guam, duos autem oculos, duosque aures
summus naturæ artifex homini dedit, sed
ne hac unica quidem licet Judici pro lubi-
tu uti, quippe in multisloquo non abest
peccatum, dentibus inclusa erit lingua,
rationi sermo.

§. X.

CÆterum quid multis? omnes virtutes
in Judice lucebunt, hicque erit omni-

um virtutum compendium exemplar,
 in hoc speculo reliqui suam vitam con-
 templabuntur & corrigent, atque ad hu-
 jus conformitatem maculas omnes expo-
 lient, quomodo enim omnia vita omnia
 que peccata, cum levibus graviora, pote-
 rit Judex punire? quomodo virtutum
 assiduos cultores juste poterit remunera-
 re? ni de suo exemplo illorum poterit ad-
 vertere gravitatem, harum contemplari
 jucunditatem. Imo, si in judice, ceu ca-
 pite, vel minimus sit defectus, quid de re-
 liquis membris fiet, totum certe corpus
 laborabit; Regis enim ad exemplum to-
 tus componitur orbis, sic pro cuiuslibet
 Judicis, vel virtutibus vel vitiis, to-
 tus hominum coetus plerumque temperatur.
 Ut, qui in templo praecinit, si male can-
 tum praeiverit, totam harmoniam temere
 confundit: talem quoque cacophoniam
 hic oriri, necesse est. Inter Grues ea est
 in eligendo judice attentio, ut ne sordidum
 quemlibet ad id fastigium promove-
 ant, sed in aliquem ætate proiectum, ex-
 perientiaque notabilem, communi cant
 suffragio, hunc, quocunque volet, reli-
 quæ indefessæ sequuntur, si substiterit, sub-
 sistunt, cunctem comitantur, imperantem
 venerantur.

§. XII.

JD quoque Judiciorum Candidatis inculcandum, caveant, opibus, vel astu, vel quoecunque illicito medio, judicandi potestatem acquirere, ne sub favo mellis, presentissimum lateat venenum. Spontaneum & maximè laudabilem ordinem servabant olim Myſtæ, qui juncta opera DEO alicui operabantur; uni de collegio fecere annum in te imperium, idque liberè, non emtis aut turbulentis suffragiis: Grave huic Patri erat munus, quem ab otio communi prohibebat ejusmodi præfectura, solaque spe redeundi anno exente in ordinem, difficultem curam interpolabat. Tanta autem religione cæteri huic obsequabantur, ut hunc putet in animos eorum inspexisse, eisque imperasse, quod sponte malebant.

§. XIII.

Hæseramus jam aliquantulum in contemplatione Judicis Ethica, nonnullos in eo requisitos mores exhibentes, tedium autem foret, nec cum institute brevitatis conveniret, si plures cumularem; Jam ad qualitates intellectuales memet conferam, inque eis primam pono Jurisprudentiam, quæ ita necessaria in bono Judge est, ut, aut ea prædictus esse debeat, aut

Judex

Judex esse nequeat, idque exinde, quia nec omnes artem judicandi sciunt, nec qui sciunt, aduersus perturbationum caluvumque vim satis constantes & considerati sunt, igitur, cognitis Judicium defectibus, ex legibus ipsis, regulam civitati, præsidium civibus, obsequique modum constituere oportuit: Harum omnium constitutionum & privilegiorum exquisitam Judex habebit cognitionem. Nec legum exterarum penitus sit rudis, quo ex iis quoque aliquod suo officio utile eliciat. Pessime ergo sibi met consulunt, qui tam vasto mari se sine pyxide nautica committunt, arietantibus se fluctibus temerè offerentes: h. c. qui tam nobile officium sibi injungi possunt, cum tamen tantæ difficultatis capax cerebrum non gerant, inde non mirum, si errorum irreparabilium sæpenumero se implicent labyrintho, temeritatisque non iustas dent pœnas, litem quoque faciant suam, & sic teneantur ex quasi maleficio, exemplo aliis, ne huic spartæ, que tam ardua est, inutiles immineant, sufficientemque & peritum, non tironem, qui in tribunali demum discere incipit, hoc munus postulat.

§. XIV.

Dicit autem Judicem & iucumbit ei, ne parti læsa ultra modum faveat, nec pro

pro gravissima causa, pœnam vel omittat
 vel mitiget; nam si reo plus justo Jūdex
 faveret, in immensum scelerum excrece-
 ret cumulus, speq; impunitatis male feriati
 ad flagitia invitarentur. Sed nec actori xi-
 milia conniventia spiritus addat, ne cum
 ad persequendum reum, fortasse insontem,
 instiget; nam sic depravati hominum
 mores insontibus insultarent, nec ab in-
 cursive improborum quisquam sibi pol-
 liceretur securitatem. Ex æquo itaque
 pars est audienda utraque, nec magis
 accusantium quam defendantium rationibus
 judicis pateant aures, (o) Notenturque
 sedulo tam liberantes quam damnantes ra-
 tiones æquè, nec ulli parti jus suum clau-
 datur aut coarctetur. Cæterum ita jus di-
 cat, quasi partes in iudicio litigantes igno-
 raret, quemadmodum justitiam velatis o-
 culis simplicitatisque linteo constrictam
 pingimus, gladium quoque adiicimus, qui
 suum cuique tribuens cuique actioni im-
 minet, interque litigatores, de quo in diver-
 sum eunt, partitur. Nec satis est Jūdicii
 sententiam dicere juxta ea, quæ a partibus
 proferuntur, nam uterque suæ causæ, quod
 fieri potest, studet; saepe quoque fit ut
 simplex, atque usitatæ in tribunalibus elo-
 quentiaz ignarus, in peritissimum inimicum
 in-

) vid:
 oodev.
 10f. &
 iron:
 s de
 nsisto.
 hic
 nass:

inecidat, causamque, licet justissimam, satis nequeat Judici demonstrare, atque sic causa cadat, hic judex causam simplicioris perspendat, alteriusque ruminetur, in quo sit cardo controversiae probe videat, quibusque rationibus imperitior se possit defendere. Atque sic procedens, utriusque partis allegationes & rationes sine affectu expendit, affectus enim sunt tanquam hostes, in aditu consistentes, eodem aliquem prohibituri; cogentes cum aliis cursus suscipere, atque a recto tramite fortasse aberrare.

§. XV.

Quam autem necessaria legum observationio est, tam perniciosa quoque res est, earundem perversa interpretatio; sunt multi otiosi & inepti LL. recessuumque verbales scrutatores, atque verbis, quæ cum ipsa re minime sunt congrua, ineptam, & justitiae extreme adversariam, extorquent sententiam. Non ergo tam verba textus sunt attendenda, quam Legislatoris sensus, qui quamlibet in specie rem, compendio non potuit includere.

§. XVI.

Festinationem Judex sedulo evitsbit, ut per plenariam inquisitionem explorata veritate, sententiam ferat: Festinatio enim

est neverca tam consiliorum, quam eruditarum cogitationū, quia nihil plerūq; festinando bene agitur; Ordinis autem DEus, quælibet justo ordine vult exsequenda, cuique etiam rei peragendæ spaciū reliquit. Quin & festinationis exempla infelicia pleraque sunt, atque damnum, nulli magis, quam ipsis accelerant. Ergo festina lente, inquit Octavianus Cæsar ALIUS.

S. XVII

Est ex adverso æque manifesta pernicies, importuna scilicet, in iudicando cunctatio, qua sic torquentur sæpe litigantes, ut gravius sit vincere, quam statim damnari, articulatimque & lente discerpantur, qui semel perire poterant, atque ita immani dilatione pereant litigantes: transiunt aliquot anni, nec dum quidquam, quod liti finem spondeat, comparet. Hæc certe cunctatio à perversis in eximium auxilium inventa est, ne scelera puniantur, quæ fortasse, vel à divitibus, vel à Judicium amicis commissa sunt. Ergo fides & ars Judicium ex sedulitate æstimanda, in sudore enim vultus vult DEus tam Judices, quam alios homines, victum parare, neque ulli, si quid acquirere volunt, labori parcere; Improbo labore atque summa attentione Judex in quamlibet causam inqui-

qulret, ut sic debito fine (veritate) potiatur, sententiamque in neutrum latus claudicantem queat colligere; ex hoc enim tanquam *χρηματισμὸν* populus sua fata expectat.

C A P. II.

S. I.

REQUISITA JUDICIS hæc fuerunt, quæ superiores implevere paginas, jani ad ejus officium memet accingo; atque, antequam vel limen ingredior, distinguo, ceu communiter fieri solet, inter Officium Judicis Nobile & mercenarium, quorum illud dicitur esse, quod per se stat, non deserviens actioni, & a Judice, sua, b juris autoritate exercetur, et iam si nulla proponatur actio, nec ulli litigatores suppetant: Hujus officii partes & species jam exponemus; Id primum videbit Judex, præsipue superior, ut æquitatem in judiciis servet; cum inferior stricto jure judicare tenetur; per nimiam etenim justitiam, non levius quam per injusticiam, in jus peccatur; ab veraque enim parte justitiae extrema illi sunt contraria, summum quippe jus, saxe summa Cicer. est injuria. Itaque superior & nobilis Judex, lib. 1 off ad mentem ianiorum secundum conscientiam, nec tamen contra allegata & probata, judicabit; ut enim homines sumus, ita

nihil humani à nobis alienum est: Judices ergo, qui quoque sunt homines, semper tam se quam alios id esse cogitabunt, ne quid ultra quam humanitatis memoria permiserit, committant, (ρ) οὐ τερέβολης κακὸν (σ) vitium est ubique quod nimium est.

§. II.

*scr. ad
icul.* **O**ptimum certe est servare modum, sed quoniam is non facile invenitur, malis citra subsistere quam ultra progredi, medioritatis enim vis magis in eo, quod paulo angustius, quam in eo, quod nimium est, cernitur. Noli esse multum justus, neque plus sapiens quam necesse est, inquit Eccles:

§. III.

Quod proporro concernit officium Judicis Mercenarium, dicitur id esse quod per se non stat, sed deservit actioni, & cessante actione, cessat hoc quoq; officiuū Judicis. Apparet itaque differentia inter officiuū nobile & mercenarium ponī, quod nobile non inhæret mere actionibus, sed cessantibus actionibus nihilominus pro nobili officio judicet, mer-

cena-

cenario autem circa nudas actiones versetur, iisque cessantibus esse desinat. Ulterius si queratur à quoquam Politorum, in quo exercetur hoc mercenariū? Respondebit, in decernendis citationibus, recipiendis aut repudiandis libellis, audiendis responsalibus, & dandis dilationibus consistere: Quia in actionibus sèpè contingit, ut tam actor quam reus differri petant sententiam, producturi ad judicium testes vel testimonia, quæ forte non adeo ad manus esse possunt, sua tamen prætentia Judicem informare; dilationem ergo partibus judex concedet, sive id flagitent, sive rite judicandi necessitas suadeat, hæc autem dilatio certis circumscribenda est limitibus, ita ut ad dictum diem litigantes in judicio adpareant, omnibus requisitis instructi. Id autem nonnullis adhuc advertendum, judices inferiores adeo juri & legibus esse adstrictos, ut ne latum quidem unguem liceat inde recedere, sed stricto jure res sibi competentes judicare, ut juris & legum innotescat vis, nec baculus in angulo legum codex credatur; si autem circumstantiæ prohibent judicari, vel sententiam, plus legum quam justitiæ continere, evincunt, id superiori hic Judex indicet, quod supra demonstratum.

§. IV.

Inter partes officii mercenarii collocari quoq;
venit rei judicatae atque sententiae executio,
quæ tam necessaria est quam lex, quid e-
nim ab adversario quis vicit? senten-
tiam, mera verba: quis læsa parti expen-
sas restituet? nisi executio sententiam latam,
actionemque vim rei judicatae adeptam, ex-
pleat: quæ scelerum esset poena, si sola sensi-
tentia ea puniret? Fit autem executio iussu
Magistratus, ad petitum partis, atque im-
ploratum judicis auxilium, ut sine in a-
ctione obtento, nempe restitutione bonorum,
vel immissione in aliquid, potia-
tur, vel denique poena, sive pecuniaria,
sive corporali succumbens afficiatur. Si
autem intra definitum tempus succumbens
victori rem judicatam non restituerit, vel
quadimenium non dederit, incumbit judi-
ci, per Executores parti succurrere, atque
succombenti rem, de qua in jus itum, im-
penas quoque & temporis actione absum-
ti refusionem, extorquere.

§. V.

Hunc qualemcunque ingenii fœtum, Can-
dide Lector potius voluntati, quæ quod
effi-

efficere potuit, non intermisit, quam facta,
 quod si non docte elaboratum, propriata
 men simplicitate contextum, imputato;
 memor, neminem unquam primum speci-
 men adeo eruditus concinnasse, ut non com-
 pareat, cum nunc primum in publicum pro-
 diisse; gratius ergo nihil contingat, quam qui
 errorem observaverit, & amicè mihi
 indicatum correxerit, De
 cetero.

GLORIA SIT PATRI, NATO SIT GLORIA
 SANCTO, GLORIA SPIRITU, TRIADI SIT
 GLORIA SACRÆ.



AD JUVENEM

Literis & bonis moribus affabré effectum,

Præstantissimum Dominum

HENRICUM JOH: SCARPH,

De

BONO JUDICE

Eruditè differentem.

E Gregiè pingis, Momo quoque judice,
J U D E X

Quis BONUS est, nostri portio pul-
chra chori.

Sit justus, pietatis amans, imitator honesti:

Sit pariter legum consiliique potens:

Sit scelerum vindex æquus, custosq; bonorum,

Judex qui cupiet nomina clara boni.

Singula quid referam? laudandi, hec pagina
cultæ,

Judicis officium, quâ decet arte, docet.

Pergito sic sacris Musarum porrò litare:

Arbiter Altithronus præmia larga dabit!

Deproperabam

H. G. L. S. F. M.